



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

Maffei, Scipione

Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756

I. De Hæresi Semipelagianâ Irenæi Veronensis, h. e. Scipionis Maffei
lucubratio. Editio quarta auctior, & emendatior.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

D E H Æ R E S I
S E M I P E L A G I A N A
I R E N Æ I V E R O N E N S I S ,
H O C E S T ,
S C I P I O N I S M A F F E I I
L U C U B R A T I O .

Editio quarta auctior & emendatio.

ACCIDIT nuper, ut statim, ac recenter editam *Historiam Theologicam* attentè perlegissem, Theses mihi oblatae essent sic inscriptae: *Propositiones Theologicae &c. Veronae an. 1743.* Cum eas percurrerem in decimam octavam incidi, quae illius operis enunciatum quoddam nominatim perstringit, atque oppugnat. Non inutile mihi visum est, quid ea de re sentiendum existimem, amicis protinus significare: quod sine ulla praestantissimi, & à me summo loco habiti, Professoris notà, aut offensione factum velim. Thesi, de qua sermo erit, praecedentem, ac subsequenter adnecto, quod sibi invicem subsidio sint.

PROPOSITIO XVII.

EANDEM subiisse aeam, sibi nonnulli blandiuntur primam nuper allatae, & proscriptae propositionis partem; damnatum nempe in Jansenio fuisse, quod ipse asseruit, Semipelagianos praevientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, admisisse: quasi verò id sentire in posterum absque fidei dispendio nemo possit. Quà de re non nostrum: sed viri piissimi religiosissimique iudicium producimus, qui cum & Romae scripserit sub ipsis Pontificis oculis, & approbantibus Romanae Curiae Censoribus, nihil scripsisse putandus est, quod Pontificiae definitioni, atque auctoritati plus aequò detraheret: Quod ad primam verò partem (damnatae propositionis) spectat, nihil attinet dicere in praesenti, cum ea per se ad fidem non pertineat, sed purè historica sit, quae Verbo Divino neque scripto, neque tradito resolvi potest: sed ex historia humana eruenda est, & ex libris ipsorum Massiliensium, ac imprimis ex duplici epistola S. S. Prosperi & Hilarii ad D. Augustinum de erroribus Massiliensium, scripta. Quibus verbis nihil luculentius esse potest, ut constet (quemadmodum & nos asserimus) Pontificiam definitionem, primam illam damnatae propositionis partem nullatenus attigisse.

PROPOSITIO XVIII.

NUPERRIMUS, cui aliàs multum debet Veronae nitorem, *Historiae Theologicae* scriptor multis productis S. S. Augustini, Prosperi, & Hilarii testimoniis, eum fuisse perhibet Semipelagianorum errorem, nullam ad initia bonorum operum, & maximè fidei interioris praevientem gratiam desiderari, quod illa eadem initia naturae tribuerent, & si fortè ad ista etiam alicujus gratiae necessitatem falsi sint, eam ex Augustini adhuc Semipelagiano luto haerenti confessione gratiam *externam* dumtaxat fuisse, contendit. Obsequio nostro literatissimum virum adhuc prosequentes, Semipelagianorum hanc in re diversam extitisse sententiam propugnamus, quod duo haec minimè inter se se pugnent, nativis viribus adscribenda esse initia illa, & naturam ipsam aliquà interiori, versatili, atque indifferenti gratiæ praeveneri. Postremum hocce, nedum apertè referunt S. S. Prosperi & Hilarii ad S. Augustinum epistolae, verum etiam ipsorum Semipelagianorum Duces & Coriphæi ore proprio testantur. Externam simul atque internam gratiam Augustinus atque Semipelagianus absque dubio falsus est multis in libris, quos ante Episcopatum edidit, praecipuè tamen in libro de diversis quaestionibus octoginta tribus, quem à primo suae conversionis tempore lucubravat: *Nec velle quisquam potest*, inquit, *nisi admonitus & vocatus, sive intrinsecus, ubi nullus hominum videt; sive extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia efficitur, ut etiam velle Deus operetur in nobis.*

PROPOSITIO XIX.

PORRO ne Semipelagianos ab omni prorsus errore absolvere videamur, hic potissimum deceptos, propterea quae ab S. S. Doctoribus & Ecclesia damnatos fuisse contendimus, quod gratiam omnem versatilem, atque indifferentem asseruerint, quae bono, aut malo naturalis arbitrii usui pe-

nitus subjecta foret. Non solum actuum, inquit Joannes Cassianus Semipelagiani Ductor exercitus, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Rursus verò: Et idcirco, licet in multis, imo omnibus possit ostendi, semper auxilio Dei homines indigere, nec aliquid humanam fragilitatem quod ad salutem pertinet, per se solum id est sine adiutorio Dei posse perficere, &c. en internam prævenientem gratiam ad initia & ad consummationem bonorum operum desideratam. Cur verò à D. Prospero hoc etiam in capite tam potenter exagitur, et atque errantibus adscribatur, nullam aliam rationem afferri posse arbitramur, quam quod versipellis homo subderet. Nostrum verò est, ut quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur vel certe dura cervice, et incircumcis, ut scriptum est, auribus eidem resistentes, per Hieremiam mereamur audire. Nunquid qui cadit, non resurget? aut qui aversus est, non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Hierusalem aversione contentiosa, induverunt facies suas, noluerunt reverti.

QUISNAM ergo fuerit Semipelagianorum error in XVIII. perquiritur. Illum ita conscripserat Author Historiæ pag. 212. *Consistea questo in sostanza nel tenere, che non fosse necessario il preceder della grazia al nostro credere, e al movimento primo della buona volontà, con che se ben si condannavano i Pelagiani del non ammetter necessità di grazia per l'opere, non si volea però ammetterla al principio del volere.* At hic, ut alibi quoque est, iis verbis propriam sententiam Authorem nequaquam protulisse: Historiam enim meam confecit, ita, ut quæ Patres senserint, afferat quæ ipse sentit, nec memoret nec pro veris haberi postulet. De Semipelagiana ergò Hæresi ea narrat, quæ præcipuè apud D. Augustinum invenit: quamobrem, ut solet, hæc inter alia ejus effata cumulat.

De Doct. Chr. I. 3. disputans enim (Tichonius, qui Semipelagianis, quod nondum animadversum fuerat, præluxit) de fide et operibus, opera dixit nobis à Deo dari, ipsam verò fidem sic esse in nobis, ut nobis non sit à Deo. Augustinus in Exp. quart. prop. n. 60. Semipelagianus cum esset ita loquebatur: *Quod ergo credimus, nostrum est, quod autem bonum operemur, illius est qui credentibus et volentibus dat Spiritum Sanctum.* Tunc siquidem putabat de præd. S. S. n. 7. fidem quæ in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis et per illam nos impetrare Dei dona quibus tempe-

ranter et justè et pie vivamus. In eodem libro: *Ex nobis quidem, Semipelagianorum sunt voces, nos habere ipsam fidem, sed incrementa ejus esse ex Deo.* De don. per. n. 42. *Initium fidei et usque in finem perseverantiam sic in nostrâ restituant potestate, ut Dei dona esse non putent.* Epist. 225. *Priorem volunt obedientiam quam gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur sit, non ex eo qui salvatur.* Alia plura his consimilia Author coarctat, Augustini enim lingua multò magis quam sua loqui solet. Unam tantum ex autoritatibus ab eo allatis adhuc memorabo, quia eo loco S. Doctor, ad Semipelagianum vitalem litteras cum daret, limitem, quo Pelagiani à Semipelagianis discernebantur, egregiè designat. Epist. 217. *Contra Pelagianos est iste consilius: tibi nobisque communis. Illi quippe omnia ad fidelem etiamque vitam hominum pertinentia ita tribuunt libero voluntatis arbitrio, ut habenda ex nobis, non à Domino putent esse poscenda: Tu autem initium fidei, ubi est etiam initium bonæ, hoc est, pie voluntatis, non vis donum esse Dei: sed ex nobis nos habere contendis, ut credere incipiamus: cetera autem religiose vitæ bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quaerentibus, pulsantibus dare consentis.* Araulicana Synodus, quæ Semipelagianos Hæreticis demùm accensuit, non quod gratiam indifferentem vellent, sed eos anathematizasse declaravit Can. V. *Quod initium fidei non per gratiam, id est per inspirationem Spiritus S. sed naturaliter nobis inesse dicent.* Perpicuum ergo, rorsus est Historiæ Theologiæ scriptorem ab Augustino, et ab Ecclesiasticâ traditione hausisse quod protulit; nempe Semipelagianorum hæresim in eo sitam fuisse, ut prævenientem gratiam, ad quæcunque bona opera, et ad eorum quoque initium admitterent quidem, sed ad initium fidei, et piarum cogitationum requiri negarent.

Hinc elucet primò, veritati consonam dici non posse eam Thesim particulam, quæ asserit, in Historiâ Theologicâ perhiberi, censuisse Semipelagianos, nullum ab initio bonorum operum interiorem gratiam desiderari. Eadem quidem etiam in celebratissimi Galli Theologi prælectionibus Venetiis nuper emissis leguntur pag. 449. Semipelagianos nempe *Gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium bonorum operum et ipsius etiam fidei propugnasse.* Verum tamen Augustini dicto standum est: in Historiâ Theologicâ illa in primis Augustini de Prædestinatione SS. n. 1. autoritas profertur. *Pervenerunt etiam, Semipelagiani, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant.* Elucet secundò, veterum Patrum

authoritate Prof. fforem clarissimum nequaquam fulciri, cum Semipelagianorum hac in re diverſam extiſſe ſententiam propugnat. Ingenue fateretur ipſe, Hiſtoriae Theologicae ſcriptorem multis productis SS. Auguſtini & Proſperi teſtimoniis narrationem ſuam inſtruxiſſe: quo poſito rationes aſſerendae erant, quibus Patrum, & Auguſtini praefertim authoritatem tam manifeſtam, & toties repetitam rejicere hac in re debeamus. Quod ſi praefare non poterat, totidem alia, vel aliquot ſaltem Auguſtini teſtimonia proferre oportebat, quae pro adverſa ſententia militent, & ex quibus ſaltem ſemel Auguſtinum dixiſſe conſtaret, damnatos fuiſſe Semipelagianos, quod gratiam omnem verſutilem, atque indiſſerentem aſſerent: dixiſſe ſaltem, gratiae interioris neceſſitatem ad ipſa fidei & ſalutis initia Semipelagianos propugnariſſe, & praefantiſſimus praefector adverſus Eccleſiaſtica monumenta omnia pag. 454. aſſirmavit. At cum nihil huiusmodi praefitum ſit, eo res deduci videtur ut diſcuti debeat, an Auguſtini, & aliorum Patrum, an clariſſ. Profeſſoris & Praelationum Scriptoris authoritas anteferenda ſit.

NEC ad rem faceret unum & alterum locum laudare ut ſit in praefationibus pag. 456. in quo ſanctus Doctör etiam antequam Epiſcopus eſſet, ubi de hac quaſtione minimè ageretur, miſericordia Dei nos vocari forte dixerit: tunc enim intelligere poterat vocari nos aliquando quod & Semipelagianus Caſſianus concedebat, neque ex hoc inferri unquam poteſt, perpetuam neceſſitatem gratiae ad initia fidei & ſalutis Semipelagianos propugnariſſe, cum idipſum hoc eſſe, quod impugnabant, antiqua documenta teſtentur. Nihil item obſtat D. Proſperi ſententia hac, à Praefectore Achillis inſtar allata p. 450. nec conſiderant Semipelagianos, ſe gratiam Dei, quam comitem non praeviam humanorum voluntate meritorum. En Semipelagianorum dogma, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundum ſuam Phantaſiam non negant eſſe praeventas: ibi enim de parvulis agitur, qui per regenerationem Epiſt. int. Aug. 225. n. 5. Coeleſtis regni aſſumuntur haeredes; & quos tamen non merà gratià incolumes effutiebant Semipelagianos, ſed quod quales futuros illos in annis maioribus, ſi ad activam ſervarentur aetatem, ſcientia Divina praevideat. Hae ſunt voluntates illae, quibus futuri hac machinatione gratiam ſubdebant, quamvis eas fateri cogerentur à Divinà miſericordià praeventas, cum in Coelum, antequam quidquam boni egerint, rapiantur. Hinc proſequitur Proſper: Sed in tantum quibuscunque commentitiis meritis electionem Dei ſubſciant, ecce quid ſit in ſupra dictis verbis gratia Dei, & quid ibi ſibi velit volun-

tatibus ſubdere. Aprimo ergo ad ultimum conſtat, omnes & ſingulas S. Auguſtini authoritates in Hiſtoria Theologica recenſitas planè ſubſiſtere, & vim ſuam ſervare, nullam verò pro adverſa ſententià repertam, vel allatam eſſe. Authoritatum loco Semipelagianorum errorem in verſatili gratiam ſitum fuiſſe ut evinceretur, ſcholae tantum ſubtilitates advocatae ſunt, ingenioſa illae quidem, ſed priſcis ſaeculis omnino ignotae, & à Semipelagianis nunquam excogitatae.

Quae ſi verum fateri volumus, eo magis ab hac quaſtione excludendae ſunt, quod magis conſtat, nec cum Pelagianis, nec cum Semipelagianis de majori aut minori Divinae gratiae vi atque efficacia unquam diſputatum eſſe. Vide ſis Hiſtoriam Theologicam omnem & praefertim p. 393. neque unquam enim Auguſtinus inſtitit, ut irrefiſtibilem, ſed unicè ut neceſſariam Dei gratiam faterentur ad pia opera Pelagiani, ad ſalutis initium Semipelagiani. Aberrantes ita Sanctus Doctör alloquitur, ad Bonif. l. 1. n. 13. Vos autem in bono opere ſic putatis adjuvari gratia Dei hominem, ut in excitanda ejus ad ipſum bonum opus voluntate nihil eam credatis operari. Haud ergo profitebantur parum operari gratiam, ſed nihil nec praeventientem gratiam admittebant verſutilem, infirmam, exilem, ſed nullam. Nullo Divino adiutorio nos egere ad mandata implenda. Epiſt. 178. n. 1. de gr. chr. n. 52. Si conſenſerit Pelagius etiam ipſam voluntatem divinitus adjuvari, ut ſine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus, nihil inter nos controverſiae relinquetur. Ad Bonif. P. 4. n. 13. intelligere (Semipelagiani) & conſiderentur, ipſum etiam bonum proſitum, quod conſequens adjuvat gratia, non eſſe poſuiſſe in homine, ſi non praecederet gratia, & ſtatim tanquam fratres amiciffimè amplexus eſſet.

THEſis exinde, de qua ſermo eſt, in connexas inſilire videtur quaſtiones. Primò, num pugnent inter ſe, initia boni naturae viribus adſcribere, & naturam ipſam verſatili, atque indiſſerenti gratià praeveniri. Minimè pugnare cenſet Profeſſor ſpectatiſſimus. At ne renuat quaſo vividi ingenii ſui aliquanto aciem intendere. Quomodocunque tandem praeventientem gratiam ipſi appellari libeat, Divinam gratiam eſſe, & naturam praevenire, & gratis advenire, & vires ad bonum largiri & in bonum impellere, non inſiciabitur. Si ergo Semipelagiani naturam à Divinà gratià, etiam, quod fidem & bona deſideria ſpectat, praeveniri conſeſſi eſſent, quomodo initia boni naturae unquam viribus tribuere potuiſſent? tam dementes ne ſtolidos ve putabimus, ut eodem tempore initium à natura eſſe, & initium à gratià eſſe proſtrarentur? ut na-

turæ viribus primas laudes darent, quamvis eas vires nonnisi à gratiâ donari concederent? ut initium primum & prævenienti gratiæ, & præventæ naturæ simul adscriberent? Quænam obsecro pugnare dicemus inter se, si hæc non pugnant.

POSTREMA Thesis pars Augustinum adhuc Semipelagianum externam simul, & internam gratiam admisisse contendit, quod nemo unquam inficias ibit: nam cum Semipelagiani, ut diximus, in eo, quod ad opera pertinet, eandem, ac Catholici doctrinam tuerentur procul dubio est, ab interiori gratiâ minimè alienos fuisse. At Augustinus antequam Semipelagianæ opinionis valedixisset, fidei exteriori quidem gratiam præire assentiebat, minimè verò interiorem. Testem ipsum Augustinum advoco Historiæ Theologiæ p. 216. de præd. SS. n. 7. *Neque enim fidem putabam Dei gratiæ præveniri, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis.*

SUBSEQUENTEM Thesim eâ tantum de causâ attingo, quod superioris complementum quodammodo sit, & in eadem quæstione versetur. In hac ut constat, Cassianum Semipelagiani ductorem exercitus fuisse, comma hoc ex ejusdem collationibus adducitur. *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi: quæ verba catholice, atque irreprehensæ doctrinæ velut nucleus quidam haberi possint.* Subditur in Thesi: *En internam prævenientem gratiam ad initia & ad consummationem bonorum operum desideratam.* Cassianus hic loci non operum tantum, & non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principia tradit, cum Semipelagiani, quod homo mentem ad Deum convertat, naturæ tantummodò viribus tribuerent. Additur autem, non ex hoc improbari Cassianum, sed quod *versipellis homo subderet: nostrum verò est ut quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur.* Ità quidem prælectiones quoque loquuntur pag. 455.

At si malè de gratiæ dogmate sentire volumus, qui nostrum esse, ut attrahentem gratiam humiliter subsequamur, asserat, Augustinum, Patres omnes, scripturam ipsam exauctorem oportet. Augustinus ad Simplic. lib. 1. *Ut velimus enim suum esse voluit, & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo.* Ità I. D. Hieronimus ad Il. c. 49. *Dei enim vocare est, & nostrum credere.* Quis unquam cogitet, Divinum adiutorium, quod ut sequamur requiritur, & cooperantem gratiam ita loquentes ex-

cludere? Idem Hieronimus ad Gal. V. *Dei opus est vocare, hominum vel credere, vel non credere.* Augustinus cont. Peril. l. 2. quærit, *quomodo Deus Pater ad filium homines attrahat, quos in libero dimisit arbitrio: quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis quod voluerit eligat? & tamen utrumque verum est.* Ità & in Retractionibus l. 1. in potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem: deinde, & utrumque ipsius est, & utrumque nostrum. De gr. chr. n. 15. *Quis autem non videat & venire quenquam, & non venire arbitrio voluntatis?* In Jo. Tr. n. 53. *Audiamus Evangelistam dicentem, dedit eis potestatem filios Dei fieri; ne omnino existimemus in nostrâ potestate non esse, quod credimus.* Rectè vivendi, quod idem est accipere, Divinæ gratiæ impulsus humiliter subsequendi, accepit homo, ut D. Augustinus docet de lib. arb. l. 3. & voluntatem liberam & sufficientissimam facultatem, percurratur Historia Theologica vel ad laborem minuendum ipsius tantummodò margines observentur: in iis siquidem sine cuiusdam labore omnia præsto sunt. Non igitur ex eo reprehensus Cassianus fuit: in quo autem præcipue peccaverit & quibus verbis antequam ea opinio condemnaretur, Semipelagianis faverit, ita ut ejus scriptura apocryphis postea merito accensuerit Gelasius, Historia Theologica prodit pag. 451.

ILLUM nihilominus versipellis hominis eloquio nequaquam mactarem, ut in prælectionibus sit p. 455. cum sanctis & integerrimis moribus vixerit & tanquam inter divos adnumeratum Ecclesiæ plures, atque adeò Gregorius magnus, coluerint. Postremus S. Prosperi editor (Parisiis an. 1711.) Cassiano minimè quidem favens, confessus tamen est, in collationibus nulla contineri utilissima, & iis laudibus, quibus à multis viris doctis & sanctis decoratus est Cassianus, dignissima. Perdoctus idem scriptor Augustino omni ex parte addictus in admonitione Prosperi libro contra Collatorem præmissa, ut Cassianum Semipelagianum ostenderet, non ab ipso necessitatem gratiæ ad fidei, & salutis initia propugnatam docet, sed ex adverso erroneo hoc principio præventum fuisse, salutis nostræ opus à nobis sumere initium. p. 278. Ità post homines natos locuti ante ætatem nostram fuerant, quicunque in sacris litteris operam posuerunt. Quod autem, clarr. Thesium & prælectionum authores p. 455. Cassianum à D. Prospero hoc etiam in capite tam potenter exagitatum asserant, non sine hallucinatione quadam videtur dictum: nam contra Prosperi hæc omnia laudat, atque idè affert, ut priora hæc effata cum subsequentiis nequaquam concordare ostendat. Paragraphus ille sic incipit pag. 311. *Quæ tamen deservi-*

doctrina inter initia disputationis à veritatis pietate non dissonat & iusto honorari præconio meretur, nisi præcipiti læque progressu ab inchoatâ rectitudine deviare. Sententiam illam, non solum actum, verum etiam cogitationum &c. definitionem Catholicissimam Prosper vocat. Subdit post illam: *Hic ne quis putaret nihil superesse, quod per liberum ageretur arbitrium, non irrationabiliter adiecit, quod probaret non auferri illud his dominis, sed potius roborari, nisi revolutum adinquireres suas ab auxilio Dei se mallet avertere. Nostrium verò est quotidie attrahentem nos gratiam Dei, ut humiliter subsequamur. Docet ergo S. Prosper, probè hoc adiecit Cassianum & nihil arbitrio libero superesse, si ut attrahentem gratiam humiliter subsequamur, nostrum non sit. Propterea quæ apud Cassianum consequuntur, pariter affert & probat. Item infra cum omnium virtutum studia Dei gratiâ indigere docuisset, probabiliter addidit dicens, quæ omnia sicut deservari à nobis jugiter absque Divinâ inspiratione non possunt, ita nec perfici &c.*

SEMIPELAGIANOS admisisse prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, propugnavit Jansenius quoque, ut in quartâ ex damnatis videmus. Verum cum ea propositio duobus membris constet acutus prælector p. 450. cum alio item præclaro Gallo Theologo ibi laudato, postremum unice damnatum fuisse contendunt, nequaquam primum: id autem persuadere conantur, quod ea propositionis pars pure historica sit, & verbo Divino neque scripto, neque tradito resolvi possit. Prælect. p. 459. Veruntamen qui Lutherum & Calvinum hæreticos nequaquam fuisse diceret de facto historico pariter ageret, & quod sacra quidem Scriptura resolvi nequiret; proptereane ab Ecclesiâ istius modi assertio nequaquam proscriberetur? præterea haud consuevit Romana sedes, haud consuevit synodi cum propositiones à Christianâ doctrinâ aliquo modo devias excerpunt, & jugulant, sensuâs & sententias adnectere, quæ damnationi obnoxia nequaquam sint. Jansenii prima duobus pariter membris constat, quorum utrumque improbatum scimus. Quid attingebat in quartâ sententiam illam præmittere, si inculcata esset? nihil aliud procul dubio enuntiandum erat, nisi *Semipelagianum in hoc erant hæretici, quod vellent gratiam tantalem esse, cui posset humana voluntas resistere, quæ completissima sententia est, nec quidquam aliud, ut perfectè intelligatur, requirit. Cum autem alia etiam, nec paucioribus quidem verbis constans, recitetur, illam quoque damnari, sunt, qui arbitrentur patere omnino. Addi posset, procedere, & pendere unam ex aliâ; neque*

enim ex his assertionibus poterat una sine aliâ consistere: eapropter copulativa particula utuntur. Scilicet ut Jansenius persuadere conaretur, in eo quod dixere nunquam, Semipelagianorum hæresim sitam fuisse, necesse habuit, inficiari prius errorem illum, ob quem verè damnati sunt, eundemque ab ipsis amovere. Ex eo igitur, quod adversus Augustini placita & adversus Arausicanæ synodi Canonem, admisisse illos gratiæ necessitatem ad initium fidei præmitteret; damnatos inferebat, quia gratiæ posse voluntatem resistere, assererent. Sive ergo ob connexionem inter se necessariam, sive quod traditioni utraque repugnet, in utraque, cur inter damnatas recenserentur, inventum est.

SUFFICERE hæc abundè ad oppugnatam Historiæ Theologiæ enunciationem tuendam reor. Comparisonem autem quandam inter prælectiones, & historiam instituere pro coronidelicet Janseniana hæresis ab utroque Scriptore impugnatur; veruntamen in historia nulli unquam alii quam Jansenistæ impetuntur. Catholicos omnes veneratione, ac laudibus Author prosequitur. Thomistarum doctrina nominatim, & præcipuè laudatur. Vide Lector, si placet, pag. XXVIII. & XXX. ad scholasticas disputationes, quod pertinet, & de quarundam opinionum diversitate, ita pronunciat. *Convengono tutte nell' essenziale, e non discordano in sostanza se non nel modo. Chi si farà ad esaminare a fondo, troverà come nasce la diversità dal nodrir gli uni più gelosa, che non si creda mai venire alcun bene se non da dio; e gli altri che non si creda mai peccar l'uomo se non per propria colpa: santa intenzione ugual nente, e per la quale concordano gli uni e gli altri nel fine, e vanno per differente strada all' istessa meta. Vide etiam obsecro pag. 406. 407. eà de causâ P. Franciscus Zavarronius, Ordinis Minimorum Exgeneralis, & Romanæ Inquisitionis Qualificator ad probationem suæ verba hæc inseruit: *Neque enim uni aut alteri opinionum scholasticarum addictus est, sed in iis, quæ ad Catholica dogmata non attinent, indifferenter se habet & hæreticas, aut hæresi proximas, & aliquo pacto damnabiles unice sententias impugnat.**

NUM idem prælectionibus tribui præconium possit, aliorum iudicium esto. Earum auctor Jansenium aggrediens in sexta p. 449. post pauca verba Jansenium deserit, & contra nonnullos Jansenii adversarios minus æquos litem instituendam censet. Ipsum, si audimus, ut nihil ea saltem in parte (quæ in hac controversiâ præcipua est, & ad dogma pertinet) Semipelagianos inter ac Molinianos discriminis esse demonstrant Thomistæ nostrates, id præsertim sta-

tuendum si sumunt, Semipelagianos gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium bonorum operum, ac ipsius etiam fidei, propugnasse: Paulò post; atque ita uno eodemque cum illis habere luto Molinianos. Et eodem cum Semipelagianis tulo Molinianos peritos esse. Idem repetit p. 454. Num finè conscientiæ ac religiosi animi labe hoc dici queat, ignoro, & qua auctoritate privati doctores quamvis eximii sententiam, quæ ab Ecclesiâ nunquam est improbatâ, & quæ in provinciis omnibus à Catholicis quam pluribus magistris & cœtibus traditur, defenditur, celebratur, pro hæreticâ habendam esse decernant, non intelligo. Hanc certè properantiam non omnes, imò quàm paucissimi ex venerabili ejus authoris ordine adprobant. Unus pro cunctis mihi testis sit Cardinalis Gortius doctissimus, quem operæ pretium erit consulere, ubi vocatos fuisse Semipelagianos docet, qui justificationis & salutis principium aliquod a nobis esse, affirmabant; simulque quomodo ab eorum erroribus longissimè absint alterius scholæ asseclæ, perspicuè, ac sincerè declarat, Tom. 2. pag. 325. Hoc autem non alia de causa hic innuendum duxi, nisi ut constet, siquando Theologi fortè nostrates aliqui aliquanto transilire videantur, non de suo hoc habere, sed propria quamvis moderatione obistente, peregrino veluti æstu corripì, & exemplo abducti in civilia bella transalpino quodam ardore incitari.

VERUNTAMEN ut Gallorum quoque ejus ordinis Theologorum in hac parte defensionem suscipiam P. Natalem Alexandrum tanti nominis Theologum ac Thomisticæ scholæ tam fervidum propugnatorem

memorare satis sit; qui Tom. V. Diff. IV. hanc propositionem fuscè, ac multis magnisque conglobatis auctoritatibus, invictè demonstrandam sumit. Semipelagianones gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei constantissimè negant. Num. autem IX. sic loquitur: Quarta propositio è quinque Jansenianis quæ his verbis concepta est: Semipelagiani admittebant gratiæ interioris prævenientis necessitatem AD SINGULOS ACTUS &c. etiam ad initium fidei, & in hoc evant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare; hac censurâ inulta est ab Innocentio X. Hanc propositionem falsam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quam censuram Alexander VII. confirmavit. Inanis porrò exceptio est, quâ recentiores quidam hanc censuram eludunt; primam scilicet istius propositionis partem esse quæstionem facti, quæ propriè fidem non spectet; quamobrem hæreseos notam in illam non cadere. Hæc, inquam, inanis est exceptio. Ita enim quæstio hæc, quid de initio fidei senserint Semipelagiani, est facti, ut jus involvat in propositione damnatâ; cujus duæ partes sic conjunctæ sunt, ut alterâ, quæ est facti, semel posita sequatur & altera, quæ juris est.

Hæc scripsi cursim, cum enim Theses ad me nuperrimè sint perlatae lucubrationum jam Tabellariis trado. Faxit Deus optimus maximus ut hæc polemico animo nequaquam accipiantur, cum irenico prorsus, atque ut Catholici omnes socias perpetuò jungamus dexterâs, prolata sint.

Roboresi, mense Januario anni 1743.

